

**XXV**

**AD BACCHVM**

*Glyconico-Asclepiadens*

Quō mē, Bacche, rapis tuī  
Plēnum ? Quae nemora aut quōs agor in specūs,  
Vēlōx mente novā ? Quibus  
Antrīs ēgregiī Caesaris audiar  
Æternum meditāns decus  
Stēllīs īnserere et conciliō Iovis ?  
Dīcam īnsīgne, recēns, adhūc  
Indictum ōre aliō. Nōn secus in iugīs  
Exsomnia stupet Euhias,  
Hebrum prōspiciēns, et nive candidam  
Thrācēn, ac pede barbarō  
Lūstrātam Rhodopēn. Vt mihi dēviō  
Rīpās et vacuum nemus  
Mīrārī libet ! Ō Nāiadum potēns,  
Bacchārumque valentium  
Prōcērās manibus vertere fraxinōs,  
Nīl parvum aut humili modō,  
Nīl mortāle loquar. Dulce perīculum est,  
Ō Lēnaee, sequī deum  
Cingentem viridī tempora pampinō.